

alio recenti per se vel decocto. sed hi prius aqua mulsa saepius pota cogantur per pinnam reicere. opio laesis similiter curentur.

Ad gypsum

CLXXXII. Gypso potu stomachus venterque dolore vasto urgentur, frigidus sudor subsequitur, oculi sanguinolenti conspiciuntur, urina alba redditur, concrescit in aliqua parte ventris quod potum est et tactu quasi saxum percipitur. adiuvari autem debent, qui his malis vexantur, cinere lixivia e sarmentis facta quam plurima pota, item aqua thymum aut organum decoctum habente.

Ad spumam argenti

CLXXXIII. Spuma argentea pota, quam Graeci *λιθάργυρον* dicunt, ventris infert gravitatem, inflammationem, postea dolorem cum urinae difficili exitu; procedente tempore coloris quidem quasi plumbei sunt, praecipue haec deformitas circa faciem deprehenditur; suppurant autem plurimae partes eorum. adiuvantur secundum reiectionem ab aqua mulsea acrique curatione, pipere, myrrha, apii semine pondere pari in unum mixtis, ex eoque medicamento X p. unius dare <oportet> cum vini cyathis tribus quattuorve cotidie potis.

Ad cerussam

CLXXXIII. Cerussam, quam Graeci psimithion vocant, qui biberunt, facile deprehenduntur: linguam enim albam habent commissurasque dentium albicantes. praeterea nauseant, reiciunt potu medicamento, caligant, magis magisque vertigine quadam urgentur; postea spiritus via intercluditur et praefocantur. adiuvantur autem post vomitum ab oleo vel ab aqua mulsea cremore ptisanae caldo largiore accepto, sed bene uncto, item lacte cum melle potu. facit et malva discocta concisa sale et oleo pipereque condita et pro sorbitione data per se vel cum urtica herbaque